



821.

I. N. J. S. N.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

*Ex Materia utilissima*

DE

# COLLATIONIBUS BONORUM

Semicenturiam Positionum selectiorum

*continens,*

QUAM

ADJUVANTE DIVINO NUMINE

Ex Decreto & Auctoritate

Magnifici JURISCONSULTORUM

in Alma Argentoratensium Universitate

ORDINIS,

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Amplissimi atq; Consultissimi*

DN. ULRICI MARBACHII,

U. J. D. Pandectar. & Jur. Can. Prof. Ordin.

Facultatis Juridicæ Senioris

*Pro Summis in utroq; Jure Privilegiis ac Honoribus*

*Academicis ritè & legitime more Majorum obtinendis*

Solenni Eruditorum Examine

In Auditorio majore & æstivo submittit

GEORGIUS GERARDUS DE VILMAN,

Monstrolensis Picardus,

A & R.

*Ad diem 15. Septembris M. DCC.*

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

M 22  
1700

2  
86

(2)






COLLATIONIBUS  
BONORUM  
SEMPTENTIAM POSITIONUM SELECTIONUM  
ADUANT DIVINO NUMINE  
MURIS IURISCONSULTORUM  
D. ULRICI MARRBACHII  
GEORGII GERARDI DE WILMARI  
Typo Johannis Fiedrichi Steub







*Praefatio.*



Um ratio naturalis quasi lex quaedam liberis parentum hereditatem ad diceret, veluti ad debitam successionem eos vocando, propter quod & in jure civili suorum heredum nomen eis indictum est, ac ne iudicio quidem parentis, nisi meritis de causis summoverti ab ea successione possint, æquissimum æstimatum est, eo quoque casu, quo propter poenam parentis aufert bona damnatio, rationem haberi liberorum. Sunt verba Julii Pauli, Jurisconsulti Patavini in *l. cum ratio. 7. ff. de bon. damn.* quibus convenit sententia Papiniani, omnium Jurisconsultorum acutissimi, in *l. scripto herede. 7. §. 1. ff. si Tabul. testament. null. extab. und. lib.* Non sic parentibus

A 2 libe-

21  
186

u

g





liberorum, ut liberis parentum debetur hereditas: Parentes ad bona liberorum ratio miserationis admittit; liberos natura simul & parentum commune votum. Ex quibus *tria* colligo. *Primum*, Parentum hereditates rationem naturalem, quasi legem quandam, liberis addicere; liberos vocari ad successionem parentum eis debitam; Liberos ad bona parentum natura simul & parentum commune votum admittere. *Secundum*, in Jure, civili liberis indictum nomen suorum heredum; Nam domestici heredes sunt, & vivo quoque patre quodammodo Domini existimantur. §.2. *Inst. de Hered. qualit. & differ. l. in suis. ii. ff. de suis & legit.* *Tertium*; Liberos, ne iudicio quidem parentum, nisi meritis de causis à successionem parentum summo moveri posse; Nullam facit Jurisconsultus differentiam, inter masculos & foeminas, quia teste Imperatore in §.5. *Inst. de exher. liber.* utraque persona in hominum procreatione simili naturæ officio fungitur. Imo, natura utrumque corpus edi-



edidit. *l. ult. vers. qui enim tales. C. de liber. præter. junct. l. lege. 14. C. de legit. hered.* Parentibus jus naturæ non permittit uni ex liberis omnia bona, vel majorem eorum partem relinquere; alterum vero judicio solo summovere à successione sine meritis de causis. Ex quo principio patet, *Æqualitatem* fundamentum suum in jure naturali habere. *l. 4. C. commun. divid. l. ult. C. commun. utr. judic.* Hinc in dubio semper ea tenenda est opinio, per quam liberi ad æqualitatem reducuntur. *Tiraquell. de jur. primogenitur. quest. 4. in princ. Hartm. Pistor. 2. quest. 38. num. 71. laudati à Carpzov. 6. cons. 44. num. 6.* præcipue, quoniam præsumptio bona est, quod eam parentes inter liberos servare voluerint. *l. illud. 20. in fin. C. de collat. l. cum pater. 77. §. evictis. 8. ubi Gloss. ff. de legat. 2. l. quasitum. 12. §. idem respondit. 43. ff. de fund. instruct.* Qua etiam bona præsumptione Jus Collationis Bonorum nititur; Ex quo nonnullas positiones pro materia Dissertationis Inauguralis seli-

186.

14

19





gere, elaborare, solennique Eruditorum  
Examini proponere, animo mecum con-  
stitui. Pro dignitate enim, amplitudine  
& nobilitate argumentum hoc tractare,  
temporis & instituti ratio non permise-  
runt. Tu **ÆTERNE DEUS** annue  
coeptis.

POSITIO I.

Definitio  
Collationis.

**C**ollatio, die Einwerffung der Güter/ item  
Bringung in gemeine Theilung/ est confusio  
*l. si deportatus. 8. C. de bon. proscript. l. si soror.  
8. C. de collat. bonorum priorum cum pa-  
ternis, l. i. princ. & §. qui ab hostibus. 17. & §. si ab ipso. 19.  
ff. & l. ea demum. 6. C. eod. ut ea postea æqualiter inter  
coheredes dividantur. Nov. 18. cap. 6.*

POSITIO II.

Causa im-  
pulsiva  
ejus.

Manifestam habet æquitatem ; Cum Prætor ad  
bonorum possessionem contra tabulas olim emanci-  
pato admiserit, participesque fecerit cum his, qui sunt  
in potestate bonorum paternorum, ut sua quoque in  
medium conferant, qui appetant paterna. *l. i. pr. ff. de  
collat. junct. l. ut liberi. 17. C. eod. d. Nov. 18. cap. 6.*

POSITIO III.

Caus. effic.  
remot.

Causa hujus collationis efficiens, vel est Prætor.  
*in l. i. pr. & §. 9. ff. de collat. vel legis & juris dispositio,  
quæ illam fieri mandat, l. dotis. 5. l. ut liberis. 17. C.  
eod.*

POSITIO IV.

Caus. effic.  
prox.

Maxime tunc emancipatum conferre non oportet,  
si etiam **JUDICIUM PATRIS** meruit, nec quicquam  
amplius



amplius nanciscitur, quam ei pater dedit. l. i. §. vel ma-  
xime. 6. & seq. l. i. C. de collat. Add. Nov. 18. cap. 6.

POSITIO V.

Toties collationi locus est, quoties aliquo incom- *Subiectum*  
modo affectus est, qui in potestate est, interventu *Activum.*  
EMANCIPATI, cæterum si non est, collatio cessabit. l. i.  
§. 5. ff. de collat. l. si emancipati. 9. C. eod.

POSITIO VI.

Si emancipatus se in arrogationem dederit, aut in  
potestate existens, sit in adoptionem datus, tamen si  
succedere vult, conferre debet is, QUI EUM IN POTE-  
STATE HABET, nisi hic ante petitam bonorum posses-  
sionem sine fraude eum emancipaverit l. i. §. is quoq.  
14. ff. de collat.

POSITIO VII.

Avus, qui, filio emancipato, nepotes ex eo retinuit  
in potestate, nepotibus ex filio post emancipationem  
natis, si vult ejus bona acquirere per nepotes in potesta-  
te retentos, ad collationem compellitur, nisi forte avus  
iste nullum ex his bonis fructum acquirere vult, para-  
tusque est de potestate nepotes dimittere. l. si quis fi-  
lium. 5. princ. ff. de collat.

POSITIO IIX.

Cum emancipati filii nomine NEPOTEM POSTHU-  
MUM post avi mortem editum dicimus bonorum pos-  
sessionem accipere oportere, necessarium erit dicere,  
bona sua eum conferre, licet non potest dici, mortis  
tempore bona avi habuisse. l. 2. princ. ff. de collat. junct.  
l. si nepotes. 7. ff. eod.

POSITIO IX.

FILIA, quæ dotem accepit, sive petat bonorum  
possessionem, sive se bonis paternis misceat, ad colla-  
tionem

186.

14

19



tionem dotis per arbitrium familiae herciscundae potest compelli. *l. i. princ. ff. de collat. dot.*

POSITIO X.

In dividendis rebus ab intestato defunctorum parentum, tam dos quam ante nuptias donatio conferenda, quam parentes utriusque sexus & cujuscunque gradus, vel in ipsas sponfas pro LIBERIS suis; vel in sponfos eorum, ut per eos eadem in sponfas donatio celebretur, contulerunt. *l. ut liberis. 17. C. de collat.*

POSITIO XI.

Tam filii quam filiae defunctae personae dotem vel ante nuptias donationem à parentibus suis sibi datam, nepotibus vel neptibus mortuae personae; quam eisdem NEPOTES vel NEPTES patruis suis vel avunculis, amitis etiam & materteris, dotem vel ante nuptias donationem patris sui vel matris, quam pro eo vel ea mortua persona, dedit, conferre debent. *l. illam. 19. C. de collat.*

POSITIO XII.

Ad similitudinem ejus, qui ante nuptias donationem vel dotem conferre cogitur, etiam ILLA PERSONA, quae nulla dote, vel ante nuptias donatione data, solam SIMPLICEM DONATIONEM à parentibus suis ACCEPIT, conferre eam debet fratri vel sorori, dotem vel donationem propter nuptias habenti. *l. pen. §. 1. C. de collat.*

POSITIO XIII.

Ex testamento & ab intestato cessat dotis & aliorum datorum collatio, ita demum, si parens hoc designavit expressim. *Nov. 18. cap. 6.*

POSITIO XIV.

Quoties contra tabulas bonorum possessio datur, eman-

Subiectum  
Passivum.



Emancipati bona sua conferre debent his solis qui IN POTESTATE PATRIS fuerunt, non emancipatis. *l. Prætor. 3. §. 2. & 3. ff. de collat.*

POSITIO XV.

Si tres emancipati, duo IN POTESTATE SINT, ter-  
tiæ conferendæ sunt, nec indignari eos oportet, si plus  
conferant, minus accipiant, quia in potestate eorum  
fuerit bonorum possessionem omittere. *l. 2. §. 5. ff. de  
collat.*

POSITIO XVI.

Si NEPOTES in locum filii successerunt, una portio  
eis conferri debet, ut bonorum possessionis unam par-  
tē habeant, sed & ipsi ita conferre debent, quasi omnes  
unus essent. *l. 1. §. ibidem. 8. l. si nepotes. 7. ff. de collat.*

POSITIO XVII.

Filius emancipatus intestati patris bonorum pos-  
sessionem accepit: NEPOS EX EODEM IN FAMILIA reten-  
tus, semissem hereditatis cum emolumento collationis  
habebit. Idem nepos, si postea possessionem intestati  
patris accipiat, fratri post emancipationem quæsito &  
in familia retento bona sua conferre cogetur. *l. filius. 9.  
ff. de collat.*

POSITIO XIIX.

Emancipatus filius, qui controversiam facit IMPU-  
BERI FILIO FAMILIAS, bona sua conferre debet, exacta  
cautione, ut victus, sicut hereditatem, ita & quæ col-  
lata sunt, præstet. *l. 3. §. 1. ff. de collat.*

POSITIO XIX.

Si prægnantem quis uxorem reliquerit, & ea VEN-  
TRIS nomine in possessionem missa fuerit, interim ces-  
sat collatio, sed nato conferetur. *l. ult. ff. de collat.*

POSITIO XX.

Si sit filius, & ex alio filio jam mortuo nepos unus,  
B & ex

186.

u

19



& ex alio nepote ex eodem filio nato & mortuo, duo pronepotes, unus in potestate, alter emancipatus, pronepos emancipatus fratri soli confert, non patruo; si non sit frater, soli patruo, non patruo magno, si non sit patruus, patruo majori, id est filio. Dotis quoque collatio in eundem modum fiet, ut quicumque confert, etiam suam personam numeret in partibus faciendis. *l. i. §. ult. ff. de collat.*

POSITIO XXI.

Si sit nepos & neptis ex eodem filio, & dotata sit neptis: sit & filius, non pater eorum: neptem omnem dotem SOLI FRATRI collatura est, emancipata autem neptis dotem & bona sua SOLI NEPOTI, non etiam patruo conferet, sed si sit neptis sola, non etiam nepos ex eodem, tunc confertur PATRUO, itemque NEPOTI ET NEPTI EX ALIO. Sed si duæ neptes sint ex diversis filiis, conferent & INVICEM & PATRUO, itemque NEPOTI VEL NEPTI EX ALIO. *l. i. §. 2. 3. & 4. ff. de collat. dot.*

POSITIO XXII.

Si pater intestatus decesserit, relictis duobus filiis, & filia, cujus nomine dotem promiserat: portiones hereditatis æquæ sunt, & dos nihilominus ita conferenda, ut pro portionibus FRATRES EJUS à necessitate præstandæ ejus dotis liberentur. *l. si pater. 2. C. de collat.*

POSITIO XXIII.

Non est dubium, profectitiam seu adventitiam dotem à patre datam, vel constitutam, FRATRIBUS QUI IN POTESTATE FUERUNT, conferendam esse. His etenim, qui IN FAMILIA DEFUNCTI NON SUNT, profectitiam tantum dotem post varias prudentium opiniones conferre placuit. *l. filia. 4. C. de collat.*

POSITIO



POSITIO XXIV.

Nulla lege aut constitutione de collatione à PARENTIBUS facienda cautum est, & tantum de æqualitate inter liberos servanda, etiam novissima Justiniani sanctione. *Nov. 18. cap. 6.* mentio fit. Multo minus collationi locus erit inter COGNATOS LINEÆ TRANSVERSÆ, quia non succedunt in bona demortui jure liberorum, neque veniunt jure quodam fraternitatis. Quod si tamen voluntas defuncti & æquitas rei potestatem collationis inducere debet, deficiente juris remedio, succedet officium arbitri familiæ herciscundæ. *arg. l. 2. C. de inoff. donat. item l. filij. 16. & l. filia. 18. C. famil. hercisc.*

POSITIO XXV.

Ea demum ab emancipatis fratribus his qui remanserunt in potestate conferri consueverunt, quæ in BONIS EORUM FUERUNT, QUO PATER FATI MUNUS IMPLEVIT, exceptis his, quæ ab ipsis aliis debentur. *l. ea demum. 6. l. nec emancipati. 15. C. de collat.*

POSITIO XXVI.

Filius in bonis habet, quod deducto ære alieno superest; QUOD SUB CONDITIONE DEBET, non statim deducere debet, sed id quoque conferre, contra autem caveri oportebit ab eo. Vicissim, QUOD SUB CONDITIONE ex stipulatu, non vero ex legato, DEBETUR, ab emancipato conferri debet. *l. 2. §. 3. & 4. ff. de collat.*

POSITIO XXVII.

EA QUÆ SINE DOLO ET CULPA FILII EMANCIPATI PERIERUNT, ad collationis onus non pertinent, quia vir bonus non sit arbitraturus conferendum id, quod nec habet, nec dolo, nec culpa desit habere. *l. 1. §. conferatur autem. 23. d. l. 2. §. 2. ff. de collat.*

186

14

19





POSITIO XXIIIX.

OMNIA, QUÆ IN QUARTAM PORTIONEM AB INTESTATO SUCCESSIONIS COMPUTANTUR his, qui ad successionem DE INOFFICIOSO TESTAMENTO VOCANTUR, etiam si is intestatus decesserit, ad cuius hereditatem veniunt, omnimodo coheredibus suis conferunt. *l. pen. C. de collat.*

POSITIO XXIX.

Nec CASTRENSE, nec QUASI CASTRENSE PECULIUM fratribus confertur, nisi mortuo fratre à patre acquisitum fuerit; quemadmodum, & ALIÆ RES QUÆ MINIME PARENTIBUS ACQUIRUNTUR, propriæ liberis manent. *l. i. §. nec castrense. 15. & l. si is qui. 22. ff. & l. ult. C. de collat.*

POSITIO XXX.

Quod emancipato LEGATUM fuerit, cum PATER MORIETUR, conferre debet; secus si ab ipso patre, herede instituto, sub ea conditione fideicommissum fuerit relictum, quia moriente patre filii non fuisset. *l. i. §. si emancipato. 18. & §. seq. l. Paulus. II. ff. de collat.*

POSITIO XXXI.

Si DONATIONE tibi POST MORTEM PATRIS fundum quæsisti, soror tua portionem vindicare non potest. Nam si FILIÆ FAMILIÆ CONSTITUTÆ TIBI A PATRE DONATUS EST, cum sorore patri communi succedens, eum præcipuum habere contra jura postulas. *l. si donatione. 13. C. de collat. l. filia. 18. C. famil. hercisc.*

POSITIO XXXII.

Emancipatus filius si INJURIARUM habet ACTIONEM, nihil conferre debet, sed si habeat FURTI ACTIONEM, conferre debet. *l. 2. §. 4. ff. de collat.*

POSITIO XXXIII.

DATA filio STUDIORUM causa, si sit in potestate & locupletior factus; si emancipatus, credendi animo accepit,



ceperit, conferenda sunt. *l. qua pater. 50. ff. famil. hercisc.*  
Quod si DIGNITATIS nomine à patre datū, vel debetur,  
illud, propter onera dignitatis præcipuum habere o-  
portet; hoc, non solum oneretur is, qui dignitatem me-  
ruit, sed commune est omnium heredum onus. *l. i.*  
*§. sed an id. 16. ff. de collat.*

POSITIO XXXIV.

Si impuberi arrogato secundum Divi Pii rescri-  
ptum QUARTA debetur, si patris naturalis bonorum  
possessionem petat, de quarta conferenda cavere eum  
oportebit, modo quartæ petitio nata sit. *l. i. §. si impu-  
bere. 21. ff. de collat.*

POSITIO XXXV.

Si in stipulatum deducta sit dos, siquidem ipsa mu-  
lier stipulata sit, vel ipsi negotium gestum, æque con-  
ferre cogetur: & si tantum promissa sit, collatio ejus  
fiet, secus si alii quæsita sit stipulatio. *l. i. §. i. ff. de col-  
lat. dot.*

POSITIO XXXVI.

DOS tum PROPECTITIA, tum ADVENTITIA, item DO-  
NATIO PROPTER NUPTIAS, cum succeditur ei, qui dotem  
dedit, conferenda est, secus si ab extraneo data. *l. filia.*  
*4. l. ut liberi. 17. l. illud. 20. §. 1. C. de collat.*

POSITIO XXXVII.

Pactum dotali instrumento comprehensum, ut filia  
contenta dote, quæ in matrimonio collocabatur, nulla  
ad bona paterna regressum habeat, juris auctoritate im-  
probatur. DOTE sane quam accepit, fratribus, qui in  
potestate manserunt, conferre debet. *l. 3. C. de collat. l. si  
quando talis. 35. §. 1. C. de inoffic. testam. l. ult. ff. de suis &  
legit.*

POSITIO XXXIIX.

Cum dos confertur, IMPENSARUM NECESSARIARUM fit

186

u

19



detractio, CÆTERARUM NON. Vicissim, filia, quæ soluto matrimonio dotem conferre debuit, moram collationi fecit, viri boni arbitrato cogetur USURAS quoque conferre, cum emancipatus frater etiam FRUCTUS conferat, & filia partis suæ FRUCTUS percipiat. *l. 1. §. 5. & l. filius. 5. §. 1. ff. de dot. collat.*

POSITIO XXXIX.

Si jam factum divortium est, & maritus non sit solvendo, non debet integra dos computari mulieri, SED ID QUOD AD MULIEREM POTEST PERVENIRE. *l. 1. §. quod si. 6. ff. de dot. collat.* quod jus tamen limitatum. *per Nov. 97. cap. 6. Add. l. dotis. 5. & Auth. quod locum. C. de collat.*

POSITIO XL.

Dos, quam dedit avus paternus, post mortem avi mortua in matrimonio filia, patri, etiam exheredato, reddi oportet. *l. dotem. 6. ff. de collat. l. avus neptis. 79. ff. de Jur. dot. l. 1. §. 9. ff. de dot. collat.*

POSITIO XLI.

Si pater pro filia DOTEM promisit, deinde exheredata & præteritæ legatum dederit, habebit filia etiam dotē præcipuam & legatum. *l. si. pater. 4. ff. de collat. dot.*

POSITIO XLII.

*Forma collationis.*

Et REIS & PIGNORIBUS recte cavetur de collatione. Quod si frater cavere non possit, CURATOR PORTIONIS ejus constituitur, apud quem resecta pecunia collocatur, ut tunc demum recipiat, quod redactum est, cum bona propria contulerit; quod si per contumaciam, actiones, denegatæ sint, OBLATA POSTEA CAUTIONE recipiet pristinum jus. *l. 1. §. jubet. 9. & 10. ff. de collat. l. Nonnunquam. 8. ff. eod.*

POSITIO XLIII.

Potest etiam RE fieri collatio, cum bona cum fratribus



tribus dividat, modo constet inter partes, quid sit in bonis emancipati, quod si non constet, tum propter incertum cautio erit interponenda. Sed si TANTUM forte in bonis paternis emancipatus REMITTAT; Item, & si NOMEN paterni debitoris delegaverit, vel FUNDUM REMVE ALIAM DEDERIT pro portione bonorum, quæ conferre debuit, satis contulisse videtur. l. i. §. quamvis autem. II. & seq. ff. de collat.

POSITIO XLIV.

Filiam, quæ ab intestato patri heres sit, conferre quidem dotem oportet, consequens autem est, ut expollicitatione dotis pro parte dimidia fratrem suum LIBERET: Æquius enim est, in solidum de suo eam dotatam esse. l. i. §. filiam. 8. ff. de dot. collat.

POSITIO XLV.

Si per INOPIAM emancipatus cavere non possit, NON statim ab eo TRANSFERENDA EST POSSESSIO, sed sustinendum, donec possit invenire fidejussores, ut tamen de his, quæ mora deteriora futura sunt, his, qui in potestate sunt, actio detur, ipsique caveant, in medium collaturos, si cautum eis fuerit. l. 2. §. ult. ff. de collat.

POSITIO XLVI.

Si SUB CONDITIONE pater vel extraneus DOTE M promiserit, cautione opus erit, ut tum conferat mulier dotem, cum dotata esse cœperit. l. i. §. si sub conditione. 7. ff. de dot. collat.

POSITIO XLVII.

Si soror tua in bonorum paternorum divisione te fefellit, NEC DOTE M, quam acceperat à patre tuo, in testato diem functo, CONTULIT, Præses provinciæ tibi RESTITUI JUBEBIT, l. si soror. 8. C. de collat.

POSITIO

186.

u

19





POSITIO XLIIIX.

STIPULATIO collationis tunc, siue in totum, siue in partem, COMMITTITUR, cum interpellatus, cum aliquo spatio, quo conferre potuit, non facit: siue dolo fecerit, quo minus conferat, maximè cum boni viri arbitratu collationem fieri, edicto prætoris insertum sit. *l. si quis filium. §. 1. & seqq. ff. de collat.*

POSITIO XLIX

*Contraria collationis.*

Emancipatus præteritus, si dum deliberat, cauerit de bonorum collatione, NEC BONORUM POSSESSIONEM PETIERIT, agente fratre ex stipulatu, IPSO IURE TUTUS ERIT, sed si pecuniam contulerit, CONDICTIONE eam repetet. *l. 3. §. emancipatus. 5. ff. de collat.*

POSITIO L:

Pater nubenti filia quasdam res præter dotem dedit, eamque in familia retinuit, ac fratribus sub conditione, *si dotem & cætera, qua nubenti tradidit contulisset, coheredem adscripsit*, CUM FILIA SE BONIS ABSTINUISSET, fratribus res in dotem datas vindicantibus, EXCEPTIO NEM DOLI PLACUIT OBSTARE; quoniam pater filiam alterutrum habere voluit. *l. pen. & ult. C. de collat.*

*C. de collat.*


TANTUM  
SOLI DEO IN EXCELSIS  
GLORIA.














X26159 19


1077











B.I.G.

Farbkarte #13

N. J. S. N.  
 INAUGURALIS JURIDICAE  
*litera utilissima*  
 DE  
**PROPOSITIONIBUS**  
**SELECTIONUM**  
 positionum selectiorum  
*continens,*  
 UAM  
 DIVINO NUMINE  
 to & Auctoritate  
**CONSULTORUM**  
 oratensium Universitate  
 DINIS,  
 PRÆSIDIO  
*simi atq; Consultissimi*  
**MARBACHII,**  
 & Jur. Can. Prof. Ordin.  
 Juridicæ Senioris  
*jure Privilegiis ac Honoribus*  
*imè more Majorum obtinendis*  
 ditorum Examini  
 ore & æstivo submittit  
**HARDUS DE VILMAN,**  
 ensis Picardus,  
 A & R.  
 eptembris M. DCC.  
 NTORATI,  
 S FRIDERICI SPOOR.

*M* 22  
 1700

21  
 86.

19

(2)

